I. O. Slangendorp

Expositio

V prior. Capit. Epistolæ

Paul. ad Romanos.


Hafniæ 1585.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1494 4°




Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1494 4°


Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1494 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1494 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1494 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1494 4°

1,-2/2.

LN 1494
M

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1494 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1494 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1494 4°

ANALYTICA EXPOSITIO QVINQVE PRIORVM CAPITVM, EPISTOLAE PAVLINAE AD Rom: rem fidei, id eſt veram iuſtificandi rationem oſtendens, & κατὰ τὸν τῆς ἐπιστήμης τρόπον, vſitatamq́; in ſcholis docendi rationem, in certas Theſes ordinata, quas Pub: diſputatione ſua prima in inclyta Hafnienſium Academia defendet.

IOHANNES OLAI
Slangendorpius, Theologiæ
Doctor.

11. *Die Septemb: hora & loco conſuetis.*

HAFNIÆ,
Excudebat Matthias Vinitor.
1585.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1494 4°

Auguſtinus lib : ad Bo : 3. Cap.

Omnium piorum, ſub hoc onere corruptibilis carnis & in hac vitæ infirmitate gementium vna ſpes eſt, quod mediatorem vnum habemus IESVM CHRISTVM: & ipſe eſt exoratio pro peccatis noſtris.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1494 4°

DE IVSTIFICA-
TIONE HOMINIS PECCATORIS CORAM DEO, POSITIONES THEOLOGICAE.

❧ ❧

I.

KΕφάλαιον *doctrinæ Paulinæ de iuſtificatione, in* Epiſtola ad Rom : hac propoſitione continetur, Sola FIDE in Chriſtum, homines iuſtificantur.

II.

Hanc generalem & theticam, in has duas εἴδικας poſſumus reſoluere. I. Fidem nobis imputari ad iuſticiam, aut, pro iuſticia. II. Remiſsionem peccatorum eſſe noſtram iuſticiam.

III.

Hæ ambæ cum in generali illa, ſolidè explicentur, illis omiſſis generalē accuratè examinabimus. Hæc enim αἴτιον exiſtit, cur papiſtæ tanta rabie perciti, tam hoſtiliter & furioſè Euangelij doctrinam non ſolum oppoſita Venenata doctrina, ſed ferro, flamma, ac carcere, Vatiniano quodam odio perſequantur.

IV.

Sed vt papiſtarum nefariè Chriſti gloriam & debitum honorem oppugnantium, συνέχον quo nitantur, id eſt, ratio propter quam, hominem ſola fide iuſtificari negant, nullum aliud eſt, quam κακοζηλία Phariſaica, tumidaq́ ſanctitatis & Vanæ perfectionis opinio, partim ſenticoſis & confragoſis ſcripturarum interpretationibus humaniſq́ gloſsis; partim phariſæorum pelagianorum aliorumq́ hæreticorum peſtiferis delirijs πατροπαράδοτον imbibita: ita noſtros conſideratio propriæ infirmitatis & fulmen legis diuinæ, damnantis imperfectionem noſtram, ſola fide in Chriſti gratiam recumbere cogit, atq́ omnem gloriandi materiam viribus humanis abſcindit.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1494 4°

V.

Cæterum aduerſariorum κρινόμενον, id eſt, examinatio huius ipſius, quod ad defenſionem ſuam adferunt, manifeſtè refellit Apoſtolus Paulus, ac medicorum exemplo, primum περὶ τῆς παθολογικῆς, id eſt, de peccato, quod animæ morbus eſt, horribiliter eneruans & deſtruens totum hominem, vt nihil niſi gratia DEI adiutus, producat bonorum operum ac proinde ab omni perfectione abeſt: poſtea περί τῆς θεραπευτικῆς, id eſt iuſtificatione, ſanctificatione, & electione noſtri: ac poſtremo, περὶ τῆς ὑγιαινῆς, id eſt pietatis exercitijs hac tota Epiſtola accuratè & diſertè agit.

VI.

Quare & nos huiuſmodi præceptoris & θεοδιδάκτου ἀποστόλου veſtigijs inſiſtentes, vt fanaticis ac perfidioſis ſpiritibus τὴν τῆς προτάσεως ἑτερομερίαν, impiè ac impurè vellicantibus, defenſionem, πρόφασιν ac laruam omnem detrahamus, reliquis huius Epiſtolæ partibus omiſsis, hac vice ad gloriam DEI & profectum diſcentium, propoſitionis Paulinæ κατάφασιν, ordine duplici, ex ipſius Apoſtoli axiomatibus, ſcripturarumq; lemmatis, tam perſpicuè, ac rotundè extruemus, vt quicquid raſa Diaboli mancipia in contrarium obgannierint, tanq; fumus ab aura leuiſsima diſcerpetur & euaneſcet. Id autem vt proſperè ſuccedat, ſpiritum DEI vt nobis dexter adeſſe velit, inuocamus.

VII.

Nunc autem antequam ipſam ἀπόδειξιν Paulinam ingrediamur, vt vocum omnem ambiguitatem tollamus, primum totum hoc complexum, omnes homines ſola fide, in Chriſtum iuſtificantur, in ſubiectum ſuum & prædicatum, item modum actionis & paſsionis ſecabimus. Deinde quod felix & fauſtum ſit, Chriſtianam & Orthodoxam huius propoſitionis ſententiam, ijs ipſis quibus Paulus vſus eſt demonſtrationibus adhibitis, complexiue defendemus, atq; analyſin aliquot Capitum inſtituemus, quibus tam morbus ac corruptio noſtræ vitioſæ naturæ, quàm remedia morbum tollentia continentur.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1494 4°

VIII.

Eſt igitur ὑποκείμενον ſiue minor terminus, propoſitionis, homines, de cuius nominis expoſitione, nulla hoc in loco nobis eſt cum Pontificijs controuerſia: κατηγορούμενον vero vel maior terminus, Iuſtificantur per Chriſtum ſola fide. Sed in modo actionis & paſsionis tria conſiderantur. I. Res iuſtificans. II. Actus iuſtificandi. III. Patiens ſcilicet ſubiectum Iuſtificationis.

IX.

Principiò autem, quum veriſsimè dictum à THEMISTIO ſit, quod ſignificatio nominis, eſt principium omnis demonſtrationis. Item impoſsibile eſſe rem ſcire, niſi ſcierimus quid eius rei nomine deſignetur, vocabula prædicati πολύσημα, Iuſtificationis nimirum & fidei, neceſſariò in κυρίας σημασίας diſtinguemus, quæ quandoquidem in ijs tota diſputatio ſita eſt, operæpretium exiſtimamus ea paulo accuratius expendere.

X.

In Græca communi lingua, vox δικαιοῦν duas habet præcipuas ſignificationes, primo ſignificat aliquē habere, aut pronunciare iuſtum, item abſoluere eum atq; ita liberare à Contraria accuſatione, culpa aut omni malo. Secunda ſignificatio eſt valde vſitata, τὸ δικαιοῦν ἀντὶ τοῦ κολάζειν, id eſt ſupplicio afficere, non priuata pæna, ſed præcipuè cum cauſa iudicata quis punitur. Ideo Suidas δικαιούμενον exponit per δίκην τυγχάνοντα.

XI.

Forenſe ergo verbum eſt, ac κατὰ μεταφορὰν à forenſibus iudicijs transfertur ſignificatio, ad iudicium conſcientiæ coram DEO. Nam quemadmodum in foro, iudex reum criminis iniuſticiæuè accuſatum abſoluit, & ab accuſatione culpauè ſuo iudicio liberat. Sic & DEVS peccatorem fide ad tribunal gratiæ, cum Chriſto ſuo aduocato ac mediatore confugientem, propter meritum, ac interceſsionem ipſius liberat, procq; iuſto ac ſancto pronunciat, habet & ad æternam vitam deputat.

XII.

Hinc ſatis liquet iuſtificationem idem eſſe quod remiſsio peccatorum,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1494 4°

catorum, ac proinde ſcripturam cum de iuſtificatione agit aut lo-
quitur, intelligere rationalem quandam ac imputatiuam quandam iuſtificationem, & non realem immutationem qualitatum.

XIII.

Nam quòd iuſticia, qua in iudicio DEI iuſti ſumus, non ſit infuſa aut inhærens (vt ſcholaſtici ſomniant) ſed imputatiua, oſtendit Paul: Rom: 3. 20. non iuſtificabitur in conſpectu &c. Vbi ex eo quod eſt additum in CONSPECTV TVO, agi de quadam iuſticia & iuſtificatione, quæ cognitione iudicis, & non rei ipſius aut virtutum exiſtentia conſiſtit, nemo ſanus dubitat.

XIIII.

Deinde cum immenſum interſtitium ſit inter hanc iuſtificantem iuſticiam, & infuſionem habituum: obſcurum eſſe non poteſt, iuſticiam coram DEO valentem, non conſiſtere in adhærentibus virtutibus nec ab hominibus cerni poſſe, vt pote quæ non realiter in homine exiſtit, ſed ex mera DEI imputatione pendet, cum infuſa virtutum iuſticia multipliciter videri, ſentiri & animaduerti non tantum à pijs ſed ſæpe etiam ab impijs hominibus poſsit.

XV.

Nec multum Ieſuitis ſuffragatur, quod aſſumunt ab hebræis Tſadac raſcha aliaq; ſimilia qualitatẽ ſignificare, vel motu prædicatum eſſe, nam vt demus ijs ita ſe rem habere in prima inflexione: ita aſſerimus in hiphil eam qualitatem vel motum alterius iudicio, verbis & aſſeueratione alteri tribui, quare vt Tſadac in prima inflextione ſignificat iuſtum eſſe: ſic hitſdic in tertia ſignificat iuſticiam alteri tribuere, iuſtum reputare, abſoluere.

XVI.

Hoc igitur iacto fundamento non difficile erit iam σύνθεσιν τοῦ ὅρου ex ſuperioribus colligere. Eſt itaq; iuſtificatio, remiſsio contectio & non imputatio peccati, nempe ob imputatam Chriſti iuſticiam.

Huius

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1494 4°

XVII.

Huius definitionis genus ℣ 6. 7. 8. 9. Cap: 4. habetur, cui differentiæ loco ſubiunximus Chriſti iuſticiam vt excluderemus noſtram.

XVIII.

Cæterum de fide altero τῷ τῆς προτάσεως κατηγορουμένῳ, quoties Paulus loquitur in his capitibus, fidem non capit pro quauis perſuaſione, aut aſſentione, quam habere poſſunt homines de veritate DEI. Nam vt centies fidem habuiſſet DEO Cain pænam ſibi denuncianti, nihil hoc ad conſequendum iuſticiam.

XVIIII.

Neq; etiam Paulus in hoc articulo per fidem intelligit obedientiam, qua fit vt homines ſicut polliciti ſunt DEO, ita etiam ex ipſius voluntatis præſcripto vitam agunt, quo pacto à Cic: definitur dictorum conuentorumq; conſtantia &c. Nam de hac fide Paulum non agere, vel illud oſtendit, quod vbiq; fidei opponit opera.

XX.

Multo minus per fidem implicitam (quemadmodum Sophiſtæ gariunt) fidem iuſtificantem intelligit, quam nihil eſſe pij homines ſciunt quàm diabolicam ἀνεσθησίαν, quia nemo rei incognitæ niſi fortaſsis per ſomnium aſſentiatur.

XXI.

Vaniſsimum autem omnium eſt ſophiſtarum commentum, fingens fidem habitum aut qualitatem infuſiuam.

XXII.

Ergo fides propriè accepta de qua Paulus in propoſitione agit, relationem habet ac reſpectum ad tale verbum DEI, quo freti homines tutò in ipſo acquieſcere poſſunt, ac in hunc modum definitur: fides eſt certa ac immota perſuaſio de miſericordia DEI & promiſsionibus diuinis, qua firmiter credimus nobis remitti peccata propter Chriſtum mediatorem. Hæc definitio extat in ℣ 21. Cap. 4. vbi ipſi adſcribitur generis loco, quod ſit πληροφορία, deinde ei additur differentia habens proprium petitum ab obiecto.

Sed

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1494 4°

XXIII.

Sed cur fides vocatur iuſticia noſtra? Reſpondeo, fides eſt duntaxat cauſa inſtrumentalis. Nam propriè loquendo, iuſticia noſtra nihil aliud eſt, quàm gratuita DEI acceptatio, in qua fundata eſt noſtra ſalus.

XXIIII.

Cum itaq; fidei tribuimus hominis iuſtificationem, non de cauſa principali diſputamus, ſed tantum notamus modum, quo perueniunt homines ad veram iuſticiam. Hic modus quia eſt actionis & paſsionis, quum hactenus de ſubiecto & prædicato propoſitionis dixerimus, nunc de modo dicemus.

XXV.

In modo actionis & paſsionis tria conſiderantur, primum eſt res iuſtificans, ſed res iuſtificans eſt non noſtra dilectio meritum aut opus. Vnde efficiens cauſa ex ſcriptura bipartita colligitur ſcilicet remota, coëleſtis patris miſericordia & gratuita erga nos dilectio: Nam DEVS eſt qui eos quos in Chriſto, diligit, iuſtificat, Rom. 8. 33. Viciniſsima eſt λύτρωσις Chriſti V; 24. Cap. 3.

XXVI.

Secundum quod conſideratur in modo, eſt actus iuſtificandi, hic actus non eſt ex iniuſto iuſtum facere, aut infundere nouas vt ſupra diximus qualitates. Sed ipſum principium eſſentiale, per quod iuſtificatio maximè conſiſtit in ſuo eſſe & in iſto conſeruatur, eſt cauſa formalis, quæ eſt ipſa peccatorum remiſsio et vnius Chriſti iuſticiæ imputatio, non ſaltem à diuina eius virtute & eſſentia profluentis, ſed ipſius mortis, paſsionis & obedientiæ reſpectu in nos emanantis. Etenim vt omnium noſtrum peccata à Domino in eum coniecta & ei imputata ſunt, ſic econtrario iuſticia ipſius nobis imputatur.

XXVII.

Quanquam hæc forma per quam iuſtificatio conſiſtit, propriè ſolitaria ſit, quæ etiam eſſentialis eſt, tamen accidentalis non excluditur, quæ ὀργανικὴ eſt.

Sed

XXVIII.

Sed ὀργανικὴ duplex eſt, externa & interna.

XXVIIII.

Externa eſt verbum Dei, ſcriptis Prophetarum & Apoſtolorum comprehenſum, ac legitima Sacramentorum adminiſtratio: Interna verò, quæ σκέψει τοῦ ἀνθρώπου τοῦ λαμβάνοντος ἀντικειμένα, interna dicitur, & tamen DEI, quæ eſt fides in Chriſtum, apprehendens hanc iuſticiam, & omnibus credentibus perinde applicans, quia omnes perinde ea indigent.

XXX.

Sed materialis cauſa agens qua iuſtificamur, eſt paſsio Chriſti, obedientia & exinanitio, vbi tria ſunt ſpectanda. I. Supplicium quo peccata noſtra in ſe translata pleniſsimè expiauit. II. Perfecta eius obedientia & totius legis impletio, quæ reatui noſtro, partim labe originis, partim infinitis alijs peccatis contracto opponitur. III. Naturæ Chriſti humanæ integritas & perfectio, qua noſtræ naturæ ſordes & imbecillitates teguntur.

XXXI.

Sed tertium quod eſt in modo paſsionis, eſt res iuſtificanda, id eſt ſubiectum ſeu ipſa materia iuſtificationis paſsiuè accepta, miſeros peccatores complectitur, qui ante conſtitutionem mundi eliguntur, poſtea vocantur, iuſtificantur, & regenerantur.

XXXII.

Finalis cauſa proxima, in quem vſum effectumq́; iſta DEI iuſticia per Euangelium prædicetur, nempe exhibere ipſum ad abolitionem, remiſsionemq́; peccatorum, quæ hactenus in mundo impurè regnarunt, V: 25. Cap. 3. Finalis autem remota gloria DEI, vt appareat ipſum ſolum, iuſtum & iuſtificantem impios. V: 2. & 15. Cap. 3.

XXXIII.

Αἰτίατα ſunt gratuita peccatorum remiſsio, ſanctificatio, pacata conſcientia, & certa ſpes vitæ æternæ.

XXXIIII.

Cum iuſtificationis fide, coniuncta eſt noua obedientia, & donum perſeuerantiæ, licet illud interdum noſtro vitio interruptum videatur.

XXXV.

Pugnant cum hac doctrina 1. Libertini & Epicuræi, qui audientes hominem non propria ſed aliena iuſticia, nimirum Chriſti, per

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1494 4°

fidem imputata iuſtum cenſeri, & legis opera non eſſe iuſtificationis cauſam, abiecto omni bonorum operum ſtudio, profanam & impiam carnis ſecuritatem in Eccleſiam inuehere conati ſunt.

XXXVI.

His reſpondemus, perpetuo & indiſſolubili nexu coniuncta eſſe hæc duo beneficia, nempe iuſtificationem & ſanctificationem.

XXXVII.

Deinde hanc doctrinam euertere conantur, qui operibus ſuis & traditionibus humanis iuſticiæ opinionem tribuunt.

XXXVIII.

Hos confutat Chriſtus ex Ieſaia, Matth: 15. V: 9. fruſtrà me colunt docentes quæ ſunt mandata hominum.

XXXVIIII.

Tertius error eſt eorum qui iuſticiam ex fide & operibus conflatam eſſe comminiſcuntur.

XXXX.

Hos refutat Paulus cum dicit ad Philip: 3. V: 8. 9. ſe omnia prò ſtercoribus reputaſſe, vt Chriſtum lucrifaceret &c.

XXXXI.

Poſtremò turpiter hallucinatus eſt is, qui hominem DEI iuſticia eſſentiali, iuſtum eſſe contendit.

XXXXII.

Hæc opinio quum ſit abſurda & peruerſè ingenioſa, homineſq; ſeriò gratuitæ Chriſti gratiæ ſenſû priuet, meritò è Chriſtianorum ſcholis & Eccleſijs explodenda eſt. Sed hactenus τῶν κατηγορουμένων μέρη diuiſiuè, nunc ſupereſt vt totum complexum, NOS videlicet SOLA FIDE IN CHRISTVM IVSTIFICARI coniunctim ἐπιστήμῃ διανοητικῇ ἐκ λήψεων Pauli probemus.

XXXXIII.

Primum itaq; argumentum Pauli, quo propoſitionem noſtram probat, colligitur ex 1. & 2. Cap. ἐκ διαιρέσεως ἀμέσου.

Omnino opus eſt iuſticia coram DEO, aut propria, quam ipſe iure creationis & iure fæderis legalis, à proprijs noſtris viribus requirit, aut aliena, hoc eſt DEI, quam Euangelio efficaciter reuelat per fidem.

Atqui & gentes & Iudæi propria iuſticia ſunt excluſi, ideoq; obnoxij condemnationi.

Relin-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1494 4°

Relinquitur ergo niſi ſub condemnatione manere velint, vt extra ſe eant & efficaciter in Euangelio oblatam iuſticiam fide accipiant.

Aſſumptionem in 1. & 2. ac demum 3. Cap: ex diuiſione mundi in duas partes, Iudæos nimirum & gentes, multis argumentis probat, quorum nos ſummam his aphoriſmis comprehendemus.

I. Aphoriſmus, Gentes & inter eas precipuæ, per noticias naturales de DEO & rebus honeſtis, non modo non iuſtificantur, ſed redduntur inexcuſabiles.

II. Deum enim quum ex eius opificio, tum ex naturæ lege cognitum, non vt Deum coluerunt, ſed ei debitum cultum turpiſsimis idolorum monſtris detulerunt, inque reprobam mentem traditi, horribilibus ſceleribus ſe conſpurcauerunt. Cap. 1. Deinde quia Iudæi ſe prætextu fœderis DEI, & elogijs quæ ipſis adſcribit in initio 3. Cap: ſe tegebant, ac ſi hoc illis pro ſanctitate ſufficeret, DEI electione, à reliquo mundo fuiſſe diſtinctos, ideo ne ad ſolas gentes reſtringerent quæ in ipſos promiſcuè competunt, ipſos quoque, tribus aphoriſmis, reos arguit. I. Iudæi quoque rei ſunt & inexcuſabiles. II. Auditores ſunt & tranſgreſsores legis. III. Etſi igitur his commiſſa fuerunt DEI oracula, illis tamen nihilo meliores ſunt cenſendi, cum omnes peccauerint & deſtituantur gloria DEI. Hunc Aphoriſmum probat argumentis, ſequentibus ad 20. V. 3. Cap. vbi deinceps operum iuſticiam incipit excludere.

XXXXIIII.

Argumentum ſecundum, probat præcedentem Aphoriſmum, medio ἐκ γένους ſumpto, & exprimitur V. 9. Cap: 3. Iuſticia per ſe nulli homini, ſecundum naturæ curſum, originem trahenti, competit. Ergo neque Iudæo, neque incircumciſo ineſt. Valet conſecutio à genere ad ſpeciem, ἀποφατικῶς, nam quòd generi non conuenit id omnibus ſub eo conſtitutis ſpeciebus derogatur. Antecedens patet primum ex loco repugnantium, omnes ſunt ſub peccato V: 23. id eſt iniuſti, Nam peccare iniuſto cohæret, ergo peccare & iuſtum eſſe repugnant. Deinde antecedens ἀτέχνως, authoritate & confeſſatis probatur. 9. nimirum verſibus Pſal. 14. & 53. Es 59. deſumptis. Quibus oſtendit quòd omnes homines ſint iniuſtiſsimi, non tantum externis factis, ſed etiam ipſo corde, ac totius naturæ externa corruptione, vnde primum eos deſcribit priuatiuè 3. verſibus, adimens ijs omnem bonam vim, poſtea poſitiuè tribuens ijs peſsimam vim, primum adimit ijs in genere iuſticiam, deinde intelligentiam 3. rectam voluntatem 4. omnes perinde

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1494 4°

accuſat 5. picturis Metaphorarum pingit vitia hominum, poſtremò adimit ijs omnem DEI timorem, qui eſt fons omnis virtutis.

XXXXV.

Tertium argumentum quo Paulus probat etiam Iudæos per legem accuſari iniuſticiæ,ſumitur à fine ſcripturæ V. 19. Cap.3. Quibus inſtituendis lata eſt lex, ijs peculiariter ſeruire debet. Sed Iudæis inſtituendis lata eſt lex. Ergo Iudæis diſcipulis ſuis, præcipuè ſuam doctrinam aptare debet,ſi ergo doctrinæ legis proprium eſt,accuſare homines ſuarum tranſgreſsionum & imperfectionum, non habent Iudæi quo ſe excuſant,neq; quo ſe à reliqua gentium turba eximere poſſunt, ad conſcientiam enim ſi appellant, tranſgreſsionem multiplicium arguit eos reos. Sed nunc ad operum imperfectionem & Euangelij iuſticiam tranſit Apoſtolus.

XXXXVI.

Quartum argumentum ſumitur ex repugnante ſcopo legis V: 20. qui eſt agnitio noſtræ iniuſticiæ, & euincit nullum hominem operibus legis in conſpectu DEI iuſtificari. Syllogiſmus autem talis eſt.

Quicquit pugnat cum ſcopo & inſtituto DEI,hoc non iuſtificat, ſed legem per opera iuſtificare, pugnat cum ſcopo & inſtituto DEI. Etenim ideo lata lex eſt,vt omnes conuincat iniuſticiæ, atq; ita omnibus os obturet,ne gloriari poſsint. Nulla igitur caro iuſtificatur operibus legis,ſed contrà conuincitur iniuſticiæ, quia lex requirit perfectam obedientiam internam & externam,quæ in nullo eſt atq; ita obnoxia redditur condemnationi, nam omnibus maledicit qui non permanent in omnibus.

XXXXVII.

Quintum argumentum V: 21. à iuſtificatione hominis opera non tantum moraliter bona (vt vulgo vocant) & quæ fiunt naturæ inſtinctu excludit, ſed quæcunq; etiam fideles habere poſſunt.

Ea eſt vera ratio iuſtificandi omnes,tam Iudæos quam gentes ſub peccato conſtitutas, quæ comprobata teſtimonio legis & prophetarum, omnem gloriam ſalutis DEO adſcribit, & tranquillitati conſcientiarum maximè conſulit.

Atqui gloriatio hominum non excluditur iuſticia operum, ſed iuſticia fidei & promiſsio non eſt firma in conſcientijs vniuerſi ſeminis tam incircumciſi quam circumciſi, ſi ex lege ſine operibus ſit hæreditas, ſed ſi ex fide gratis.

Ergo ea eſt vera iuſtificandi ratio, dum DEVS non ex operibus,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1494 4°

bus, ſed ex fide gratis impium iuſtificat, maior eſt ἀναπόδεικτος minor de certitudine ſalutis ſeu tranquillitate conſcientiarum. V. 24. & 25. probatur.

XXXXVIII.

Sextum argumentum eſt comparatorum V: 22. Quemadmodum Chriſtus in cruce peccator fuit, ſic nos ſumus iuſti. At Chriſtus in cruce peccator fuit alienis, hoc eſt noſtris peccatis ipſi imputatis. Ergo & nos iuſti ſumus aliena hoc eſt ipſius Chriſti iuſticia nobis viciſsim imputata. Eant ergo monachi qui dicunt virtutes ſeu ſpiritualia dona, eſſe noſtram coram DEO iuſticiam.

XXXXVIIII.

Septimum argumentum explicatur ratione, à contrario ſumpta, atq; probat omnes eſſe peccatores & deſtitui gloria DEI.

Nullus peccator poteſt gloriari coram DEO de iuſticia atqui omnes ſunt peccatores: Ergo nemo ſine diſtinctione coram DEO de iuſticia gloriari poteſt, non igitur operibus aut meritis aliquis ſaluatur.

L.

Octauum argumentum à priuantibus eſt V: 25. cauſæ iuſtificationis extra nos ſunt: ergo nulla pars iuſtificationis nobis adſcribenda eſt. Sed omnis eius gloria debetur DEO in ſolidum.

LI.

Nonum argumentum à cauſa finali remota V: 26. finis iuſtificationis noſtræ eſt ſolius DEI gloria, ergo excluduntur omnia noſtra opera ac merita, quia hæc noſtram gloriationem continent, inſuper ipſe tantum eſt iuſtus & iuſtificans, igitur omnes alĳ iniuſti & iuſtificatione indigentes.

LII.

Decimum argumentum à remotione falſarum cauſarum V: 27. Omnes cauſæ iuſtificationis ſunt gratuitæ: Ergo excluſa eſt noſtra iuſticia: ſtabilita vero gloria DEI, gloriationem hominum excluſam eſſe intelligit in ſummo gradu, nempe in articulo iuſtificationis.

LIII.

Vndecimum argumentum ἐκ μείζονος eſt. V: 1. Cap: 4. Abrahamus pater noſter, nihil conſequutus eſt operibus. Ergo multo minus nos conſequimur, quum ei pietate nunquam pares ſimus.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1494 4°

LIIII.

Duodecimũ argumentũ ἀπόφασιν antecedẽtis à remoto effecto, aut conſequente ad cauſam confirmat proſyllogiſmo ἀποφατικῷ cõnexo.

Si Abraham ex operibus apud DEVM iuſtificatus eſt, habet gloriationem apud DEVM, ſed conſequens eſt falſum, igitur & antecedens.

Conſequutionem probat ἀτέκνως, pronunciato Moſaico Geneſ. 15. quod indicat Abrahamo, fide imputatam eſſe iuſtificationem: ac proinde excludi gloriationem.

Si illud credere imputatum eſt ei ad iuſticiam, aut pro vera iuſticia, non certè ſuis operibus eſt iuſtificatus neq; gloriari potuit, ſed antecedens eſt verum ergo conſequens eſt falſum.

Minorem proſyllogiſmi probat medio deſumpto ex ſimilitudine mercenarij, per collationem contrariorum. Quicunq; operando meretur, ei nõ imputatur ex gratia ſed ex debito, & ſic habet quod glorietur: contrâ vero ei qui non operando mereri vult, credit autem in eum qui iuſtificat impium, imputatur fides ſua in iuſticiam, & ſic Abraham non habet quod glorietur apud DEVM. Ergo non eſt iuſtificatus operibus ſed fide.

LV.

Decimumtertium argumentum teſtimonio Dauidis V:6. continetur Pſal. 32. vbi dicit ſalutem tribui gratis, & abſq; omnibus operibus per ſolàm imputatam iuſticiam. Excluduntur ergo omnes infuſæ iuſticiæ & operum cauſæ ſine qua non. Hanc proprietatem iuſticiæ imputatæ contemplentur Ieſuitæ recentes monachi, & deſinant vocem iuſticiæ explicare idem eſſe, quod realiter infundi alicui iuſticiam qualitatum.

LVI.

Decimum quartum argumentum, à definitione iuſticiæ ortum ducit V: 7. Quicquid datur & imputatur propter alienam iuſticiam, nullis meritis, nullis operibus aut infuſis qualitatibus, nulla ratione aut conditione vel meriti vel etiam debiti, illud gratis confertur. Sed Iuſtificatio & beatitudo eſt talis: Ergo nec meritis nec operibus acquiritur, vnde nemo erit beatus, qui ſuis meritis expiauit peccata, aut pro ijs ſatisfecit, qualis nemo eſt aut erit, ſed cui gratis DEVS, imputata filij ſui iuſticia, non imputauit propriam iniuſticiam aut peccatum.

LVII.

Decimum quintum argumentum, in quo probat etiam iuſticiam

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1494 4°

ad incircumciſos pertinere, ſumit ab ordine cauſarum & effectorum V: 9. & 10. cauſa non ſequitur, ſed præcedit ſuum effectum ergo ſi circumciſio, eſſet cauſa iuſticiæ, ſequitur quod Abraham prius eſſet circumciſus quam iuſtificatus, ſed hoc falſum eſt, quia iuſticia imputata erat Abrahamo ante circumciſionem & legis obſeruationem. Relinquitur ergo quod iuſticia etiam ad incircumciſos pertineat.

Sequelam probat V: 12. vbi accommodat exemplum Abrahami ad omnes gentes credentes. Qualis eſt ratio patris, talis eſt & filiorum. Sed Abrahamo incircumciſo, gratis fides imputata eſt ad iuſticiam: igitur & gentibus conuerſis, imputabitur.

LVIII.

Decimum ſextum argumentum eſt à differentia ſigni & rei ſignatæ, ſignum non eſt cauſa efficiens, aut materia ipſa, ſed circumciſio & legis obſeruatio ſunt ſignum, non ergo materia aut etiam cauſa efficiens iuſticiæ.

LVIIII.

Decimum ſeptimum argumentum eſt ἰσότητος V: 13. Quemadmodum Abrahamo per imputatam iuſticiam fidei, contigit promiſsio poſſeſsionis terræ, vel potius coeli per illam indicati. Sic & nobis regnum cœlorum, per fidem & eius iuſticiam continget. Sed Abrahamo & Iſraëlitis non per legem, ſed per promiſsionem & iuſticiam fidei, hæreditas eſt oblata, ergo & nobis eodem modo continget.

LX.

Decimum octauum argumentum probat partem negatiuam minoris, aſſumpti, videlicet quod non per legem promiſsio facta ſit V: 14. medio εἰς τὸ ἀδύνατον, ſi impletio legis ſtatuatur cauſa hæreditatis, tum euertetur diuini conſilij ſcopus, ſed hoc eſt impoſsibile. Ergo impletio legis non ſtatuitur cauſa hæreditatis: maius aſſumptum probat: ſi ex lege & meritis eſſet hæreditas, irrita foret talis fides, ac promiſsio. Quandoquidem nemo ei ſatisfacere, & impoſsibilem obedientiæ conditionem præſtare poterit. Quare nec promiſsio daret, quod cum impoſsibili conditione promittit, nec fides acciperet aut aſſentiretur, cum videret impoſsibilem eſſe conditionem. Hæ cùm ſint abſurda & pugnantia, relinquitur legis impletionem non eſſe cauſam iuſtificationis.

LXI.

Decimum nonum argumentum habetur V: 15. in quo eandem negatiuam partem validius confirmat medio ducto à natura & vſu

legis.

legis. Quod damnat ac iram DEI denunciat, non iuſtificat aut conſolatur, lex talis eſt: ergo non per legem conſequimur iuſticiam.

LXII.

Viceſimum argumentum eſt probatio alterius partis aſſumptionis ſuperioris ſyllogiſmi. Sed Abrahamo per promiſsionem hæreditas eſt facta fide &c. V: 16. Arguit autem ab vtroq; conſilij diuini ſcopo. Vt accipiatur promiſſa hæreditas, oportet pariter promiſſiones eſſe certas ex parte DEI, & fidem eſſe certam ex parte hominis.

Atqui ſi promiſſa hæreditas non acciperetur niſi propter ſeruata DEI præcepta, promiſsiones non eſſent certæ ex parte DEI, neq; fides eſſet certa ex parte hominis, contrà vero certa eſt promiſsio & certa fides, ſi gratis promittantur & accipiantur bona illa promiſſa.

Igitur promiſſa adoptio & hæreditas fide accipiuntur, abſq; conditione obſeruatæ legis & abſq; meritis operum.

Propoſitio in concluſione annectitur & per ſe clara eſt, aſſumptio probatur à Paulo. Quia lex iram operatur, procul abeſt vt conferat nobis promiſſam benedictionem, quamobrem irrita fieret DEI promiſsio, noſtra etiam fides inanis.

LXIII.

Viceſimum primum argumentum eſt τῶν πρός τι. Quemadmodum Abraham iuſtificatus eſt ſacræ ſcripturæ elogio: ita & nos iuſtificari oportet, quia non tantum propter Abrahamum ſcriptum eſt, quod ei imputatum fuerit: Sed & propter nos, quibus futurum eſt vt imputetur, quum Abraham non tantum ſit exemplar, ſed & pater credentium. At Abraham abſq; operibus fide in promiſsionem iuſtificatus eſt. Ergo & gratis fide in promiſsionem. Valet hoc argumentum ab exemplo, vel quia eadem eſt ratio iuſtificationis omnium hominum: vel quia ille pater ſeruandorum eſt in exemplum iuſtificationis omnibus propoſitus: vel deniq; ratiocinando à maiori ad minus. Finita argumentatione aut quæſtionis confirmatione, poſtea ſingularum vocum expoſitio analytica in 5. Cap: inchoatur, de qua nos nonnihil in propoſitionis ſectione, & breui θεοῦ θέλοντος cum ſequentium vocum γένεσιν & ἀνάλυσιν tum reliquas materias totius epiſtolæ proponemus & defendemus.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1494 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1494 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1494 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1494 4°